ACTUS
ERECTIONIS, EXDOTATIONIS, & APPROBATIONUM COLLEGII NEOFUNDATI TREMESNENSIS DUODECEM JUVENUM NOBILIUM & PUBLICARUM SCHOLARUM.

SERMO

Quô annuntiatur Mens; & futura Erectio Collegii Nobilium atq; Scholarum declaratur.

In Nomine Domini, Amen.

NOn difficile eſſe Supremæ Potentiæ etiam viliſſimis mentibus magna ſuggerere, quinimò & Ipſam Imbecillitatem ſolidare, ut faciliùs molem ponderoſam ſupportet, adaptare: id in Me & expediri hodiè convenit, & conteſtari. Cum etenim placuiſſet Altiſſimo Me ſua miſeratione erigere de ſtercore, ut Jobum, quem ſuâ Juſtitiâ placuit proſtraſſe, ut Saulum, quidni placeat, ut cum primo de præſtanda pro gratiis gratitudine, & cum altero de promerenda propitiatione cogitetur; inſpirare? Ita eſt: Qui fecit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos, facit hunc & caliginoſiſſimæ menti meæ affulgere, ut cadant ſquammæ ex oculis, clariùſq; appareat ad utrumq; perficiendum, quid me opporteat facere. Sed o! Magne Deus, Opus hoc quod ſuggeris, quomodò tàm abjectô, vilî & inceptô Inſtrumentô operaberis? Opus hoc ſi ſpectetur ut Victima Gratitudinis; excedet vires, ſi conſideretur ut holocauſtum pro peccatis; omnis facultas, omne ex parſimonia vectigal, omne ex induſtria adminiculum non ſufficient. Si & tempus, quô huic operi

 accin-

accingendum foret perpendatur; utiq; & calamitosum, & aridum, & sterile est; tempus inquàm quô facilius destruuntur magna quàm construantur minima; Sed sinamus hanc supremæ Potestatis Majestatem etiam in suum merum nihil extendi, & in illo luculentiùs manifestari. Enim verò si nihil obest soli, & si & in sordidissimam cloacam suæ claritatis radios diffundat; nihil profectò oberit Creatori, quin ad majorem suæ Potentiæ cognitionem etiam sterili & aridissimo tempore flores apparere, facere in terra nostra, & ex illis placidissimum odorem sibi sumere. Potens est DEUS, Dives in omnes, eodem ictu quô despexisse videbatur, simul benignè & paternè respicere. Et si manus Ejus stillaverunt Myrrham amaritudinis, quis prohibet? quin ipsæmet stillent Myrrham electam in odorem suavitatis.

Obvient mihi quamvis jam ad opus Domini operandum currenti & alia hujusmodi obstacula, illa & si pusillanimem terreri & retardare quidem possent, retrahere tamen non poterunt firma spe animatum; Durum enim mihi foret contra stimulum calcitrare; Quinimò eò animosior Opus hoc palàm declarabo, quô tutior de beneplaciti Divini in illud influxu persuasus permaneo. Voce igitur Angelica concitatus hàc: Opera DEI revelare honorificum est; & quod nam illud opus sit? declaro, & quis ejus finis sit futuris? determino. Itaq; cunctis ubiq; pateat, Opus Divinum esse: Institutum Scholarum, Erectio Alumnatûs, Conservatio Nobilium Pauperum Juvenum, eisq; de educatione, victu, amictu, & commoditatibus cura & sollicitudo impendenda. Finis Instituendi operis sunto: Laus DEI perennis, & DEI-Genitricis Honor æviternus, Ecclesiæ Ornamentum, Religionis Nostræ Incrementum, Patriæ obsequium, Palatinatui Scholîs destituto commodatum, Nominis Mei repræsentativorum emolumentum, Animæ Michaëlis Suffragium. Verbô, omnia hæc ut erigantur propter

DEUM

DEUM ſolum, ſintq; & gratitudinis & propitiationis perpetuò immobile Monumentum. Cùm tandem & exploratu difficile non ſit, nùm prænominatum Opus à DEI voluntate propendeat? cùm & de fide ſit, gratum DEO eſſe id: quidquid vel uni ex minimis ejus præſtaretur; Vaticinatur & Propheta, DEUM ex ore Infantium & lactentium perfici ſibi laudem. Cùm porrò Opus hoc nec cuiquam præjudicioſum forè prævideatur; nec enim fore Succedaneis Abbatibus damnoſum, Menſæ etenim Illorum & ſi aliquid detrahendum foret, jam (uti apparet) eſt proviſum uberiùs. Non meæ Congregationi derogatorium; ab Illa enim præter Benedictionis Divinæ Imploratum, nihil prætenditur; Non mihi ſanguine junctis Legeq; nova diſpenſatis injurioſum: hanc etenim Legem jam vivens implevi favore Illorum meliùs, quàm moriens implerem, non tàm forte abundantiùs. Eſt etenim & pro Illorum Pupillis ad participandum de fundatione prior & potior præ aliis aperiendus Campus. Non præjudicioſum fore declaro Opus hoc & aliis Sacris Ordinibus Familiiſq; Regularium; Illarum etenim æmulari chariſmata intendens in educatione ſuorum; quin Ipſæ æmulenter meliora non invideo; Non deniq; velim & me fore damnificandum ex eo; Si per illud prælibatum opus aliquid aut tranſitorii emolumenti, aut vani honoris mihi vendicare præſumam, abſit, non enim ſolùm mihi indè damnum haud ſatis deplorandum emergeret, ſed & DEO Ipſi plurimùm derogaretur, cum Ipſi ſoli ut ſuo Creatori proprium, vili & miſeræ Creaturæ furtivè & impropriè appropriaretur. Cumqué perindè opus cui omninò cooperandum, ſat ſit indigitatum; Operi finis (cui inhæreat) ſit determinatus. Fini operis Divina Voluntas, (quâ omne id ſtabiliatur & proſperetur) affulſerit; cum porrò & cognitum ſit hoc futurum opus multis fore proficuum & nemini obfuturum; præſtat jam, ut viliſſimum meum velle operi ſubijciam humeroſq; ſubmittam. Captivo

itaq;

itaquè meam voluntatem in obſequium Supremæ & Altiſſimæ Voluntatis. Immergimini & Vos Fratres mei Dilectiſſimi, ac de Veſtro Cætu Emeriti Patres immergimini mecum huic in exhauſto Immenſæ Providentiæ Oceano; traho vos cum libero veſtro velle & conſentire in funiculis charitatis, ſciens peroptimè ex Inſtituto Noſtro; Vos non eſſe uti ſervos ſub Lege, ſed ſicut liberos ſub Gratia Conſtitutos. Et cùm noverim perfectè Cætum hunc Veſtrum ultra Octo Sæcula, ne dicam ſtare immobiliter, ſed & areſcentibus ſæculis in hac Chriſti Vinea floreſcere, eò quòd & Divinæ Voluntati conformes & Superiorum Veſtrorum nutibus ad Bonum propenſis non diſſoni ſitis, indeq; præſumam & nunc de Veſtra in perfectiora propenſione, quòd huic prælecto operi non diſſentietis. Quinimò aut per incuriam non conſumatum, ut conſumetur, aut auxiliante DEO conſumatum, ut firmum perſiſtat, in Veſtram Sollicitudinem & Curam libenter ſuſcipietis. Velim tamen Pace Veſtra, ut liberiori & expreſſiori conſenſu Veſtro hoc Opus fulciatur, utq; eò ſtabiliùs appareat in futuro, Veſtrûmq; omnium arbitriò Authoriſatum permaneat. Cui Ego Prior ſubſcribo ad perpetuam rei memoriam.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremeſnenſis
mpp.

MENS

MENS FUNDATIONIS

Et Decretum, quô erigitur Collegium Alumnorum cum Scholis Publicis.

Actum in Capitulo Congregationis Tremeſnenſis Annô Domini 1773. Die 22. Menſis Febr.

CElebratum eſt Capitulum Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium in Monaſterio Tremeſnenſi ſub Præſidentia Jlluſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini MICHAELIS KOSMOWSKI Congregationis præſatæ Canonicorum Lateranenſium Abbatis. Congregatîs Nobîs Omnibûs infraſcriptîs Capitularibûs, ſeu prædictum Capitulum Intrantibûs, idq; ſpecialiter ad Actum præſentem Convocatîs, in quo quidem Capitulo taliter, ut præmiſſum eſt, Celebrato, ac in forma debita Conſtituto, aperuit mentem ſuam nunquàm ſatis laudatiſſimam præfatus Illuſtriſſimus Abbas, quomodò Ipſe principaliter ad augendum & promovendum Cultum Divinum circa ſuam Eccleſiam Abbatialem Tremeſnenſem non modò providendo bono publico ad mentem Conſtitutionum Regni Sæcularium, verùm etiam Eccleſiaſticarum, ſuccurrendo quoq; omni meliori modo cariſſimæ Nobilium in Regno Juventuti, modum aliàs non habenti undè tùm in bonis moribus ſicut in ſcientiis & Artibus, tenerum ſuum poſſit excollere ingenium Statumq; ſuum ad publicos Patriæ & Eccleſiæ uſus impendere, piiſſimô & laudabiliſſimô Conſtitutô apud ſe propoſitô intendat, pro alendis, fovendis & Studiis operam navantibus Duodecem Alumnis à latere Cæmeterii Eccleſiæ, nempè in loco, ubi hortus plantatus ab antiquo extiterat, novam à fundamentis

mentis Domum erigere, eandemq; in publicum Duodecem Juvenum Convictum convertere, taliterq; ibidem prædictos Duodecem Nobiles Alumnos juxta ſeorſivam à ſe faciendam Ordinationem continuò & perpetuò fovere, pro omniq; meliorè eorum in Studiis Augmento tres Profeſſores ex Univerſitate Cracovienſi conducere, Iiſdemq; præter honeſtam ſuſtentationem congruum ſtipendium, ſeu aliàs annuam penſionem deſignare, ad quem effectum ut tàm præfati Duodecem Alumni Nobiles, ſicuti & dicti Profeſſores Scholas ibidem docentes ſuſtentari, perpetuoq; conſervari poſſint. Idem Præfatus Illuſtriſſimus Abbas pro hujuſmodi Alumnorûm & Profeſſorum ſubſiſtentia & ſufficientia de propria Menſa Abbatiali, ſeu alias de ſuis noviter acquiſitis Bonis in Dotem perpetuam præprimis novam Coloniam *vulgo Kozłowek* dictam & in Parochia Tremeſnenſi ſittam à radice per ſe extructam cum ſuo ibidem Prædio & ſcultetia pratiſq; ſibi adjacentibus *Rudy* nuncupatis. Alteram Coloniam ad præſens in Villam redactam *vulgo Kamionek* dictam ſuper qua duntaxàt cenſus ab Incolis ejuſdem villæ pendendus cum ſuo taliter pendi ſolito cenſu integro, nec non omnibus fructibus pertinentiis obventionibuſq; quibuſcunq; hinc indè provenientibus. Tertiam itidem novam Coloniam *Oſtrowek* appellatam, ſeu pariter ſuper eadem Colonia cenſum æquè ab Incolis ejuſdem Villæ conſtitutum ſolvi ſolitum cum ſuis omnibus emolumentis ac fructibus quôquô modô ab inde evenientibus in Parochia Camenecenſi ſittis, præfato Convictui Duodecem Nobilium Alumnorum aſſignat, applicat, incorporat & condeſcendit. Inſuper ut præfati Duodecem Alumni præter victum, ſuamq; congruam ſuſtentationem, amictum quoq; ſeu Veſtes talares coloris violacei permodùm habitûs Clericalis pro uſu & commodo Eccleſiæ Tremeſnenſis continuò portent & habeant, taliterquè victum & amictum in præfato Convictu participent. Idem qui ſupra Illuſtriſſimus Abbas ad eundem

dem

dem effectum Villam suam antiquam Abbatialem *Bieślin* vocitatam suæ Congregationi Tremesnensi, seu aliàs ad Mensam Communitatis perpetuò ac in ævum condescendit, dat & appropriat, nihil ampliùs juris ac utilitatis sibi suisq; Succedaneis Abbatibus, tàm super prædictis & recensitis superiùs Novis Coloniis, sicuti super eadem Villa reservando, cum hac scilicet annexa obligatione, ut de Proventibus ejusdem villæ *Bieślin* participatis seu participandis nulla obstante calamitate pro eodem amictu Duodecem Nobilibus Alumnis comparando quotannis pro Festo Sancti Martini Episcopi Quingentos florenos Polonicales ad manus Illustris Præfecti ejusdem Convictûs exsolvat & enumeret, quoties autem in eodem Convictu unum vel plures Alumnos vacare contigerit, pro tunc Illustrissimus Abbas cum tota sua Congregatione alium sive alios in locum vacantem Alumnos præsentare, & ad dictum Convictum commendare jus & potestatem habebunt, exindeq; prædictus Convictus Nobilium non aliter nisi sub continua Protectione Illustrissimi Abbatis Tremesnensis totiusq; Congregationis ejusdem permanere & subsistere debebit. Iidem verò præfati Duodecem Nobiles Alumni seu alias in dicto Convictu manentes intuitu hujusmodi Fundationis suæ tenebuntur quotidie Officium parvum de Beata Virgine MARIA more Clericorum, idqué horîs seorsivè constituendîs bis de die, scilicet manè & vesperè; item Psalterium sub tempus Pausarum illudq; tam Diurnum quàm Nocturnum more ad præsens practicari solitô sivè per se sivè per alium ab Illustri Præfecto Convictûs destinandum in Ecclesia decantare & absolvere; Præterea tenebuntur Solemnioribûs Festîs vel quotiescunq; Sanctissimæ Eucharistiæ expositio in Altari facta fuerit tum Sacrificiis Missæ, tum aliis Ceremoniis Ecclesiasticis more Clericorum assistere. Studiosi verò reliqui quotquot præter dictos Commensales Alumnos in hisce Scholis Tremesnensibus Studiis operam dare voluerint, obliga-

buntur quotidie horâ primâ pomeridianâ Officium de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis MARIÆ in Eccleſia decantare, ac quoties opus fuerit præcipuè ex Infima Schola ad Sacrificia Miſſæ miniſtrare, taliterquè ſe non tantùm in Studiis quæ tractabuntur, verùm etiam in Obſequiis Eccleſiæ promptos & idoneos demonſtrare curabunt. Verùm ut hæc ſingula accuratiùs per dictos Alumnos & Scholarum Diſcipulos ſinè ulla unquàm intermiſſione expediri poſſint, Illuſtris Præfectus Convictûs tùm Clariſſimi Domini Scholarum Profeſſores ſuper omnibus præmiſſis idq; ſub onere Conſcientiæ diligentem Curam & animadverſionem habere, ad eaq; Munia Eccleſiaſtica rectè & exactè obeunda Alumnos præfatos & Scholarum Diſcipulos in iis omnibus debitè peragendis inſtruere & informare curabunt. Qui quidem Clariſſimi Profeſſores ex Univerſitate Cracovienſi ad docendos & inſtruendos Alumnos præfatos, necnon alios Scholares continuò tres in præfato Convictu conſervabuntur, quorum Primus in dicto Convictu Theologiam moralem & Philoſophiam diſtinctîs temporibûs tradet. Alter Scholam Rhetoricam junctìm cum Pòëſi, Tertius verò Syntaxim & Grammaticam, nec non Infimiſtis prima Scientiarum rudimenta tradere, & juxta ſeorſivam faciendam Ordinationem circa ejuſdem Statuta Convictus Scholas prædictas docere tenebuntur. Qui verò primus Profeſſor Theologiæ & Philoſophiæ fuerit, Is idem regimen in Convictu, jam verò curam & diſpoſitionem Æconomicam in præfatis omnibus Coloniis ſeu Villis ſupra ſpecificatis gerere, ad Menſam diſpenſare, familiam fovere & omnium curam habere adſtrictus erit; de perceptis verò & expenſis quôlibet Annô idq; circa Feſtum S. Martini Epiſcopi rationes ſivè coram Ipſo Illuſtriſſimo Abbate vel Priore Congregationis Tremeſnenſis, ſeu coram aliis ab Eodem Illuſtriſſimo Prælato Deputandis facere tenebitur. Nullus verò ex Præclariſſimis Profeſſoribus ad ea quæ muneris & Officii

Officii clauſtralis fuerint, ſive ad ea, quæ ex vi Erectionis ſuæ ſuorumq; Privilegiorum præfatum Monaſterium ab antiquo poſſidet, quoquômodô ſe ingerere vel immiſcere, vel aliquod præjudicium facere unquam debebit vel attentabit, quod ſibi præſentibûs dictum Monaſterium per omnia cavet. Quam quidem pientiſſimam Illuſtriſſimi Abbatis altè memoratam Intentionem, Diſpoſitionem ſeu Ordinationem taliter ut præmiſſum eſt brevi faciendam cum gratiſſima acceptione audivit tota Congregatio Capituli præfati Tremeſnenſis, eandemq; uti non ſolùm ad Cultum DEI ſe ſe regulantem, verùm etiam ad Bonum publicum ſuæq; Eccleſiæ Tremeſnenſis Singulariſſimum Ornamentum, decus & utilitatem cum omni commodo diſpoſitam maturîs Conſiliîs præhabitîs plenaq; deliberatione facta, ſignanter verò attentô eô, quod per ejuſmodi dictarum Coloniarum ſeu Villarum ad Menſam Abbatialem ſpectantium prædicto Convictui Incorporationem & adapplicationem neq; Abbati protunc exiſtenti aliquod exinde damnum vel præjudicium eſt emerſurum, ex quo longè majores Proventus ut antea fuerant, præfatus Illuſtriſſimus Abbas Menſæ Abbatiali in poſterùm accomodavit, attentô eô pariter, quòd nequè Congregationi Tremeſnenſi aliqua hinc damnificatio ſubſecuta fuerit, quinimò major ejuſdem & Eccleſiæ ſuæ decus & utilitas accreverit, itaquè præmiſſa gratiarum Actione toties memorato Illuſtriſſimo Abbati uti piiſſimo & liberaliſſimo Fundatori hancce laudatiſſimam memoratam Intentionem & Diſpoſitionem in omnibus & ſingulis punctis, clauſulis, nexibus & Obligationibus ſummoperè acceptavit, eamquè unanimi omnium conſenſu & votô approbavit, præſentibûſquè approbat ac Actis Capituli Congregationis ſuæ ingroſſari voluit; & ut quantò citiùs Is Idem Illuſtriſſimus Prælatus omnia & ſingula ſuperiùs præmiſſa ad perfectiſſimum omni meliori modo deducat effectum, nec non in ſingulis præmiſſis oportunas facultates, libertates ac quæ-

vis necessaria de Jure pro stabiliendo in perpetuum prædicto Convictu Remedia & Privilegia procurari faciat, enixissimè precatur, seque verò cum suis Succedaneis Capitularibus ea singula taliter ut præmissum est perpetuò ac in ævum inviolabiliter servare, tenere, dare & præstare obligat, hôc suô Decretô ad præmissa mediante. Præsentibûs Congregationis Capituli Tremesnensis Canonicorum Regularium Lateranensium Capitularibûs Virîs, nempè Perillustribûs & Illustribûs Admodùm Revarendîs Dominîs Stanislaô Wandkowski Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium Priore ac Præposito *Gorensi*. Antonio Roszkowski Vice-Priore, Francisco Xaverio Krauze, Custode Ecclesiæ *Tremesnensis*, Valentino Kędzierski Præposito *Camenecensi*, Francisco Wieczyński Præposito *Vilatoviensi*, Constantino Rozalski Procuratore Causarum, Paulo Dryndzinski, Antonio Rossa Promotore SSmi Rosarii Beatæ Virginis MARIÆ, Ludovico Łukomski, Michaële Morawski Bonorum Claustralium Provisore Canonicis Regularibus Lateranensibus Domus Tremesnensis Professis, & me Casimiro Rosołkiewicz Canonico Ejusdem Congregationis ac Actorum Capituli Tremesnensis Secretario.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremesnensis
mpp.

Stanislaus Wandkowski Prior Tremesnensis
mpp.

Antonius Roszkowski Vice-Prior Tremesnen:
mpp.

Casimirus Rosołkiewicz Secretarius Capituli
mpp.

Sub

Sub tractu Commissionis à Celsissimo Loci Ordinario destinatæ, Decretum Auctionis Proventûs pro Mensa Alumnorum.

Actum in Capitulo Canonicorum Regularium Lateranensium Conventûs Tremesnensis Annô Domini 1773. die 17. Augusti sub tractu Commissionis.

QUoniam Illustrissimus & Reverendissimus Dominus MICHAEL *Kościesza* KOSMOWSKI Abbas ac Prælatus Noster supposuerat circa Actum Erectionis Collegii Nobilium in Capitulo Nostro Annô Currenti die 22. Mensis Februarii pro alendis vestiendisq; Duodecem Alumnis ex Proventibus Coloniarum in eadem Erectione specificatarum pro omni necessitate Copiam adfuturam; Verùm altiùs prædictus Illustrissimus ac Reverendissimus Prælatus trutinando singulas exigentias & expensas in præfatos Alumnos erogandas, consideratîs calamitatibûs & casibûs, propter quos posset aliquando ratio alendi & fovendi prænominatos Alumnos deficere; Constituit in supplementum & meliorationem inscribere prædicto Alumnatui in Molendino Vilatoviensi non pridem à se noviter erecto medietatem frumenti perpetuîs temporibûs scilicet, siliginis modios seu Vierteliones Centum Octuaginta mensuræ solitæ & usitatæ, quam suam Inscriptionem cum Consilio & consensu Nostro, uti eam per quàm futuris posset obviari necessitatibus & penuriæ, atquè sine damno Successorum suorum factam libenter acceptavimus, & Inscripsimus, acceptamusquè & inscribimus per præsentes, ita ut prædicti Alumni Collegii

Nostri

Noſtri Tremeſnenſis jus perpetuum habeant percipiendi quotannis de prædicto Molendino ſiliginis modios ſeu Vierteliones centum octuaginta, ad alteram autem medietatem frumenti in uſum Menſæ Abbatialis pendi ſolitam nihil unquam idem Collegium ſpectabit, neque ullum ſuum intereſſe habebit; Tandem Decreti moderni vigore decernitur ac ſtatuitur, ut ſi quis inter Alumnos recipi & ad participationem Fundationis admitti intenderit, quatenùs ante ſuam in Alumnatum introductionem & ingreſſum per ſe, ſi capax fuerit vel per ſuos Patronos & Promotores in caſu propriæ impoſſibilitatis permodùm Dotis importari & enumerari quinquaginta florenos Polonicales ad manus Illuſtris Præfecti Convictûs faciat & procuret pro ultima neceſſitate ejuſdem Convictus aſſervandos. Eodem demùm in memoriam revocato, quod in Decreto Erectionis appoſita ſint hæc formalia, & clauſula. (

Quatenùs nulla obſtante calamitate Communitas Tremeſnenſis de Villa *Bieślin* quotannîs perſolveret quingentos florenos Polonicales pro Convictu.)

Cum videatur pro aliquo tempore oneroſa, eandem clauſulam, & punctum taliter moderandum intelligendum & explicandum preſens Venerabile Capitulum cenſuit; Videlicet nulla obſtante calamitate univerſali pro omnibus Incolis Villæ *Bieślin* non verò particulari, ſeu alias exceptîs caſibûs fortuitîs neceſſariò de Jure excipiendîs, id eſt extraordinariîs tam ex parte Communitatis quàm ex parte Incolarum Bieſlinenſium ſe habentibûs. Ea quoque totius nominatis Alumnis Obligatio ac Conditio per eoſdem implenda imponitur, qualiter Ipſi Convictui per ſex Annôs adſcribi debebunt, per quod temporis ſpatium in dicto Convictu commanere ſuis muniis à Fundatore præſcriptis & Conſtitutis ſatisfacere & in iis, quæ concernent perfectam adæquatamquè Educationem taliter ſuis Clariſſimis Profeſſoribus obtemperare tenebuntur. Quoties autem acci-

derit

derit vacare locum alicuius Alumni, protunc Præsentatio admittendi novi Alumni spectabit duntaxàt ad Illustrissimum & Reverendissimum Abbatem & Illustrem Admodum Reverendum Priorem protunc existentem, Nomine totius Capituli, non obstante quavis cæterorum contradictione, ità scilicet ut Illustrissimus & Reverendissimus Abbas Ipse præsentet, jam verò Illustris Admodum Reverendus Prior ejusmodi Præsentationi annuere debebit. Si verò Idem Illustris Prior non annueret eidem Præsentationi, Præsentatio tamen Illustrissimi & Reverendissimi Abbatis valebit. Hortum verò pro erigendo in illo Alumnatu, qui ab immemorabili tempore extiterat in Possessione Illustrissimorum & Reverendissimorum Abbatum Tremesnensium, post autem ex libera sua voluntate Illustrissimus & Reverendissimus Abbas modernus Conventui cessit seu donavit; eundem Communitas Nostra pro *Stagno* Illustrissimi & Reverendissimi Abbatis iacente penes ferream fabricam *vulgò przy Pile* commutavit & omnem usum, dominium seu quodcunq; Jus ad dictum hortum habitum in Personam Illustrissimi ac Reverendissimi Abbatis ac Ejus Successorum in perpetuum transfudit & resignavit Decreti præsentis vigore. Qui hortus pro fundo Alumnatui assignatus & exdivisus protenditur in longum juxta dimensurationem Perticis viginti quinquè, in latum verò Perticis Decem. Reliquum verò ejusmodi horti sive Pomarii ultra Superiorem descriptionem in latum Perticarum septem in longum verò prout ad præsens Idem reliquum Pomarii extenditur, Illustrissimus ac Reverendissimus Abbas ad ulteriorem suam dispositionem sibi reservat. Quæ omnia præexpressa Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Abbas manu propria subscripsit. Actaq; hæc sunt præsentibûs Congregationis Capituli Tremesnensis Capitularibûs nempè Illustribûs & Admodum Reverendîs Stanislao Wandkowski, Congregationis Tremesnensis Priore ac Præposito *Gorensi*, Antonio Roszkowski

Vice-

Vice-Priore, Franciſco Krauze Cuſtode, Valentino Kędzierſki Præpoſito *Camenecenſi*, Franciſco Wieczyńſki Præpoſito *Vilatovienſi*, Conſtantino Rozalſki Procuratore Cauſarum, Paulo Dryndzińſki, Staniſlao Białachowſki, Fauſtino Chudzyńſki, Franciſco Gierbig Canonicis Regularibus Lateranenſibus Domûs Tremeſnenſis Profeſſis, & me Caſimiro Roſołkiewicz Canonico ejuſdem Congregationis Notario Apoſtolico & Actorum Capituli Tremeſnenſis Secretario.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremeſnenſis
mpp.

Staniſlaus Wandkowſki Prior Tremeſnenſis
Nomine totius Communitatis
mpp.

Caſimirus Roſołkiewicz Capituli Secretarius
mpp.

DECRETUM
Adimpletivum Exdotationis & Erectionis Collegii Alumnorum Nobilium Duodecem.

Actum in Capitulo Tremeſnenſi Canonicorum Regularium Lateranenſium Annô Domini 1773. Die 8. Menſis Novembr. quæ erat feria ſecunda poſt Dominicam 26. poſt Pentecoſten.

CElebratum eſt Capitulum per Nos voce activa & paſſiva fungentes, & ad illud ſolito more in locum Conſiliorum Congre-

Congregatos. In quo Illustrissimus & Reverendissimus Dominus MICHAEL *Kościesza* KOSMOWSKI Actualis Abbas & Prælatus huic Capitulo Præsidens exposuit ea, quæ sequuntur. 1*mo.* Quòd licèt quidem in anteriori Capitulo Nostro die 22. Februarii Annô currenti celebratô constituerit Portionem ex Coloniis *Kozłowek*, *Kamionek*, *&* *Ostrowek* ac Villâ *Bieślin* pro victu & amictu, unaquè pro salariîs & sustentatione Professorum Collegii Alumnorum; quia tamen prædictæ Villæ seu census illarum necdùm adæquatè sufficere valeret, ideò præmaturè immediatè ante Commissionem à Celsissimo Loci Ordinario destinandam mediantibûs Consensibûs Nostris præfatæ Fundationi ubèriùs providendo ordinavit, capitulariterq; inscripsit centum octuaginta modios siliginis ex Molendino *Vilatoviensi*, noviter à se extructo in rem Mensæ Alumnorum quôlibet Annô pendendos. Cùm nihilominùs ob rationes permultas & hujusmodi Proventus designatus apparuerit Eidem Illustrissimo & Reverendissimo Domino Abbati non esse in posterum fixus & stabilis, proindè hodierno Capitulo Nostro hocce negotium palàm notificans, exquirendo quàm optimum Consilium, existimavit securiorem & firmiorem forè Proventum ad prænominatam Mensam Collegii Alumnorum, si Advócatia *Plaszkovo* vocitata in Bonis seu Clavi *Szydłoviensi* sitta, nunc in Possessione advitalitia Generosorum Antonii & Magdalenæ de Kosmowskie Kruszewskich existens, ex suis proventibus de Mensa Abbatiali Ori suo & commoditati subtractis reemeretur, eademq; Advocatia Mensæ prædictorum Alumnorum Actis Capituli Nostri inscriberetur, & perpetuò incorporaretur, seu Proventus ex præfata Advocatia uti certior, nón excludendo tamen Proventum ex Molendino *Vilatoviensi* centum octuaginta modiorum siliginis; Simulq; Apotheca cum sua de solido muro extruenda Officina cum censu ex Emphiteusi concernendo, ac cum obligationibus conservandi Medicum aut Apothe-

carium & Chirurgum pro commoditate novæ toties mentionatæ Fundationis Alumnorum & Professorum eidem Collegio immutabiliter applicaretur, indissolubiliterq; uniretur, taliterq; de unanimi Consensu Nostro pro meliori Conditione Fundationis & indemnitate Mensæ Reverendissimorum Succedaneorum suorum Abbatum decernendum suadebat. Inspirabatquè ut propinquiores Consanguinei & repræsentativi sui Nominis, potiores & priores in futurum, admissibilesq; præ aliis sint ad Fundationem & gratam Educationem. *2do.* Cùm ad majus Cultûs Divini Augmentum in prætacto Superiori Capitulo seu potiùs Erectione recensitæ Fundationis Idem Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Abbas expresse voluerit, à Pauperibus cujusvis Status & Conditionis in Nostris neofundandis Scholis Operam daturis perpetuò decantari Psalterium nocturnum ante DEUM in Sacratissimo Eucharistiæ Mysterio realiter præsentem, proindeq; summè congruum, necessariumquè asseruerit, quatenùs pro sustentatione & emolumento prædictis Pauperibus Studiosis intuitu laboriosi muneris Psallendi (aliquot ad minimum octo ab Illustri Admodum Reverendo Domino Scholastico seu Rectore Collegii quovis Annô assumendi & ordinandi erunt) seorsivæ Portiones seu distributiones stabiles ac nunquàm infirmæ perenniter consignarentur & penderentur. Hanc itaq; ob causam Summam Decem Millium florenorum Polonicalium ex suis proventibus ope Divina collectam, ut ab ea census irrevocabilis pro iîsdem Studiosis Pauperibus regulariter emanet ac proveniat in Prætorio Thorunensi mox locandam declarat, assecuratq;, ut à locata tali modo dicta Summa censum Illustris Reverendus Dominus Scholasticus percipiat, perceptum verò in præfatos Pauperes Studiosos exdividat, diligentissimeq; invigilari curet, ne Mens hæc Illustrissimi Reverendissimi Domini Abbatis fraudetur, nevè Ecclesia Nostra ullô temporis intervallô laudem DEI, taceat. *3tio.* Cùm Illustrissimus & Reverendissimus

rendissimus Dominus Abbas pro viribus satagat & cupiat, ut ennarrata Collegii Allumnatûs Scholarum & obligationum Alumnorum Professorumq; & Studentium Fundatio continuò vigeat, perseveret & pro quovis ævo immutabilis perduret, summè opportunum forè judicavit, prælibatam suam integram Fundationem velùt Orphanam certæ speciali & maximæ Authoritati validissimoquè Patrocinio, sicuti suis basibus & fundamentis inniti, ab Iisdemq; gratiosissimè foveri; idcircò hancce Fundationem generaliter cum suis omnibus Juribus, Privilegiis, Statutis & Ordinationibus atquè cum integro suo nunc esse, & extituro Potentissimæ Protectioni Serenissimæ Regiæ Majestatis feliciter Regnantis, Celsissimi quoquè Primatis Regni, uti Loci Ordinarii, ac Illustrissimi Excellentissimiq; Supremi Regni Cancellarii tuitioni, defensioni, Paternæquè Sollicitudini, Eorumq; Succedanes Serenissimis Regibus, Celsissimis Loci Ordinariis, & Illustrissimis Eccellentissimisquè Supremis Regni Cancellariis, uti perpetuis Protectoribus & Tutoribus commendandam, offerendam pleneque submittendam esse consultavit, Eorumquè Tutelam quàm efficaciùs poterit Ipsemet Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Abbas expostulare & impetrare sine mora statuit.

Nos itaquè præmissîs omnibûs plenè ac luculenter expositîs Illustrissimi & Reverendissimi Domini Abbatis desideriîs, iisdemquè benè ac maturè trutinatîs; cum nihil in eis Nobis atq; Succedaneis Reverendissimis Dominis Abbatibus pro tempore existentibus præjudiciosi advertamus, quinimò singula pro augendo cultu Divino; pro decore & emolumento Nostræ Congregationis, atquè pro unico fermè medio in Patria Nostrâ merendi ex educatione Juventutis Polonæ adinventa esse clarissimè perspiciamus, cum libero Nostro Consensu Advocatiam *Płaszkowo* in Bonis *Szydłowo* Mensæ Abbatialis sittam & seorsivè consistentem reemendam à Generosis Kruszewskie, & Mensæ

C 2 Alumno-

Alumnorum Juvenum Duodecem Nobilium Collegii Tremeſnenſis inſcribendam & perpetuò incorporandam eſſe ſentimus, hocquè mediante Capitulo Noſtro tàm prædictam Advocatiam cum ſuis univerſis emolumentis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Abbate mox reemendam prælibatæ Alumnorum Menſæ (nihil Nobis atquè Reverendiſſimis Abbatibus præter tuitionem prædictæ Advocatiæ & Protectionem Ejuſdem reſervantes; quàm etiam Summam Decem Millium florenorum Polonicalium in Prætorio Thorunenſi mox locandam & ab ea annuum cenſum conſtanter provenientem pro Octo Pauperioribus Studioſis, ut per Ipſos Pſalterium nocturnum horatìm inevitabiliter per ſæcula decantetur, ut ex parſimoniali ſuo modo vivendi còágulatam; tùm demùm Apothecam emptam & cum futura Officina ejuſdem, hortoquè eidem adjacente perpetuò inſcribimus, cedimus & incorporamus; Hancq; conditionem: ut ad prædictam Fundationem Alumnatûs propinquiores & Nominis repræſentativi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Abbatis præ aliis potiores ſint admiſſibiles; admittimus, & in perpetuum acceptamus. Cùm tandem tùm firmitas prænominatæ Fundationis, tùm ejus perennitas nullô meliori modô acquiri queat, quin innitatur Protectioni & Authoritati Majeſtaticæ Sereniſſimi REGIS, conſerveturq; tuitione Celſiſſimi Regnì Primatis, uti Loci Ordinarii, atq; Illuſtriſſimi Excellentiſſimi Supremi Regni Cancellarii, Eorumq; Succedaneis pro tempore exiſtentibus; proinde Nos una cum Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Abbate Noſtro, quemadmodùm Eos expoſtulandos fore cenſemus, ne Protectores & Tutores prædictæ Fundationis fieri recuſent & dedignentur, utpotè in Bonum Patriæ Noſtræ Erectæ & Conſtitutæ, ac in obſequia Sereniſſimæ Reipublicæ Sacratæ, ita cum omni ſuo eſſe & exiſtere Iiſdem ſubmittimus & ſubſcribimus, facilemquè aditum & recurſum in omnibus cauſis, clauſulis & meliorationibus (ſi quæ in contrarium

trarium aut debilitationem prædictæ Fundationis varietate temporum irrepſerint) enixîs precibûs Nobis Succeſſoribuſq; Noſtris præberi in perpetuum ſupplicamus; taliter indemnitatem roburquè prædictæ Fundationis Collegii Duodecem Juvenum Nobilium Publicarum Scholarum, conſervationis Profeſſorum ac Pædagogorum, omniumq; intuitu prædictæ Fundationis Statutorum & Ordinationum, uti capitulariter & cum pleno, libero & nullatenùs ſuſpecto Conſenſu Noſtro peractorum Providentes in perpetuùm præſentis Actûs Noſtri robore.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremeſnenſis
mpp.

Staniſlaus Wandkowſki Prior Tremeſnenſis
mpp.

B U L L A
SANCTISSIMI CLEMENTIS XIV. Quâ Approbatur Fundatio Collegii Alumnorum Nobilium & Scholarum.

In Nomine Domini, Amen.

CUnctis ubiquè pateat, & evidenter ſit notum, quòd Annô à Nativitate Dñi 1774. die verò 14. Menſis Maji, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri, Domini CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ XIV. Annô Ejus V. Ego Officialis Deputatus vidi & legi quaſdam Literas Apoſtolicas ſub Plumbo more Romanæ Curiæ expeditas tenoris ſequentis, videlicet.

18

CLEMENS EPISCOSUS
Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteras ſolicitudines, quæ Nobis ex Paſtoralis Officii debito incumbunt, illam libentiſſimè amplectimur, per quàm Literarum, ſcientiarumq; Studia & Adoleſcentium illis operam navare volentium Collegia ad fructuoſam Agri Dominici culturam & Doctrinæ ac Sapientiæ Incrementa ubiquè propagari poſſint, ac propterea quæ per Religioſas Perſonas, ac piorum Operum Authores pro Eorundem Collegiorum recta & felici directione facta & ordinata fuiſſe comperimus, ut ea firma perpetuò & illibata remaneant, Noſtræ Apoſtolicæ Confirmationis robore communire non dubitamus, ac alias de ſuper Ejuſdem Officii Noſtri Partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire: Sanè pro parte Dilecti Filii MICHAELIS KOSMOWSKI moderni Abbatis Regularis Monaſterii Abbatiæ nuncupati Tremeſnenſis Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis Gneſnenſis Diæceſis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quód Ipſe Abbas Divinum Cultum circa Abbatialem Eccleſiam præfati Monaſterii promovere, Ipſiuſq; Abbatialis Eccleſiæ decus & honorificentiam augere, nec non commoditati & profectui Juvenum illarum Partium generis Nobilitate præditorum, aliunde rectam ingenii animiquè culturam comparare non valentium conſulere cupiens, ſibi propoſuit. Collegium ſivè Convictum pro Duodecem Nobilibus Juvenibus in Oppido Tremeſnenſi dictæ Diæceſis propè dictum Monaſterium fundare & erigere, ut in eodem Collegio præfati Duodecem Juvenes Nobiles in qualitate Alumnorum aſſiduè ſuſtentari,

ibiquè

ibiquè non solùm bonis Artibus, scientiisquè operam dare & optimîs moribûs imbui, verùm etiam piis exercitationibus ac pietate sedulò vacare possint. Hinc præfatus MICHAEL Abbas propositum sibi Consilium executioni demandare intendens, Domum ad hoc satis aptam cum suis Scholis & Officinis, aliisquè ad effectum & usum hujusmodi necessariis & opportunis decenti elegantiquè forma à fundamentis extrui curavit, ac subinde capitulariter Convocatîs de more omnibûs Canonicîs Regularibûs dicti Monasterii, hanc animi sui deliberationem Eis patefecit, Ipsamquè Omnes unanimiter Commendantes Erectionem & Fundationem hujusmodi tanquàm opus pervalde utile ac proficuum habentes Capitulariter summopere commendarunt, ac plenissimè probarûnt. Proptereaquè MICHAEL Abbas præfatus ad Fundationem & Dotationem ejusdem Collegii devenit, assignas Ei pro illius perpetua manutensione & dote nonnullas Colonias sive Possessiones, ac reditus ex sua propria Mensa Abbatiali, seu aliàs de suis noviter acquisitis Bonis, quin tamen ex hoc Eidem MICHAELI, ac ejusdem Monasterii Abbatibus pro tempore existentibus præjudicium aliquod inferat, cùm Monasterium Ipsum, quod minime collativum existit longè majoribus redditibus pro Ejus ac Abbatum pro tempore existentium præfatorum congrua sustentione satis Provisum reperiatur. Ac demùm pro ejusdem Collegii bono rectoquè Regimine illi usquè valida & efficaci subsistentia nonnulla Statuta seu Capitula edita, ac simili modò capitulariter firmata & probata fuère, quorum quidem singulorum Statutorum seu Capitulorum tenor est: qui sequitur, videlicet.

I. Assignantur: locus præcipuus pro Erectione & Constructione, Domûs & Collegii à latere Cæmeterii Ecclesiæ Monasterii Tremesnensis, nec non Possessiones seu Coloniæ, ac Bona redituśq; pro illius perpetua Dote, nec non pro sustentatione

Duo-

Duodecem Pauperum Nobilium Juvenum, & in Eo alendorum, ac trium Literarum Profeſſorum.

II. Quòd præfati Duodecem Nobiles Alumni Orthodoxæ fidei cultores exiſtant, ac ſub obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vivant; Iiquè ſint quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſtico Miniſterio fore perpetuò inſervituros, Ipſiquè in Collegio ſic erigendo per ſex tantum Annorum ſpatium commorari, ibiquè victu & amictu ſeu veſtibus participare valeant, veſtes autem per eos deferendæ talares erunt violacei coloris, & ad formam habitus Clericalis pro uſu & commodo præfatæ Eccleſiæ Tremeſnenſis.

III. Quòd unuſquiſquè ex dictis Duodecem Alumnis ante ſuum in dictum Collegium ingreſſum, per modum dotis, quinquaginta florenos monetæ Regni Poloniæ in manibus Præfecti Collegii hujuſmodi pro ultima ejus neceſſitate aſſervandos exſolvere, & enumerare debeat.

IV. Quòd Reverendiſſimus MICHAEL KOSMOWSKI modernus Abbas dicti Monaſterii, Ejuſdemq; Collegii Fundator & Inſtitutor cedat favore ſuæ Congregationis ſeu Menſæ Communitatis, ſeu Monaſterii in perpetuum Villam ſuam antiquam Abbatialem *Bieślin* nuncupatam, nihil ſibi ſuiſq; Succeſſoribus Abbatibus Juris & utilitatis reſervans, ea tamen lege, ut dicta Congregatio Monaſterii Tremeſnenſis non obſtante quacunquè calamitate univerſali pro omnibus incolis Villæ præfatæ non verò particulari, ſeu aliàs exceptîs caſibûs fortuitîs neceſſariò de jure excipiendîs, ideſt extra ordinariîs tàm ex parte communitatis, quàm ex parte Incolarum *Bieślinenſium* habentibus, quotannis in die Feſto Sancti Martini Epiſcopi quingentos florenos monetæ præfatæ ex proventibus ejuſdem Villæ pro Alumnorum amictu in manibus Præfecti Collegii exſolvat & enumeret.

V. Quód quoties in eodem Collegio unum ſeu plures Alumnos deeſſe contigerit, protunc Præſentatiò novi Alumni, il-

liuſq;

liusq; admissio spectet duntaxàt ad pro tempore existentes Abbatem & Priorem dicti Monasterii Nomine totius Capituli, non obstante quavis Cæterorum contradictione ita tamen, ut Prior præfatus hujusmodi præsentationi per Abbatem factæ semper annuere & consentire debeat, sin minùs, etiàm Ipso renuente dicta Præsentatio per Abbatem sic facta, valere suumq; sortiri debeat effectum.

VI. Quòd dictum Collegium seu Convictus sub continua Protectione Abbatis protunc existentis, totiusquè Congregationis dicti Monasterii semper manere debeat, salvo tamen Jure Ordinarii in iis, quæ Curam Animarum, publicas Scholas & disciplinæ Ecclesiasticæ Observantiam concernunt.

VII. Quòd præfati Duodecem Nobiles Alumni, seu alii in dicto Collegio degentes quotidie Officium parvum Beatæ MARIÆ Virginis more Clericorum bina per diem recitatione Matutinîs scilicet & Vespertinîs statuendîs horîs, nec non Psalterium tam diurnum quàm nocturnum tempore pausarum ac more ad præsens practicari solito sive per se, sive per alium à Præfecto Collegii deputandum in Ecclesia Monasterii præfati decantare & absolvere teneantur.

VIII. Quòd solemnioribûs festîs diebûs ac quotiescunquè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Altari dictæ Ecclesiæ publicæ adorationi exponi contigerit, Præfati Duodecem Nobiles Alumni eidem Altari tàm in Sacrificio Missæ, quàm in aliis Ecclesiasticis Ceremoniis & functionibus more Clericorum inservire & assistere debeant.

IX. Quòd reliqui omnes, præter dictos Duodecem Commensales Alumnos, qui in Scholis dicti Collegii studiis navare voluerint, quotidie horâ primâ pomeridianâ Officium Immaculatæ Conceptionis Beatæ MARIÆ Virginis in eadem Ecclesia decantare, & quoties opus fuerit præcipuè Adolescentes

Infimæ claſſis Sacrificio miniſtrare, Eccleſiæquè ſervitium præbere ſedulò curent, promptiq; ſe exhibeant.

X. Quòd præfati Collegii & Literarum Profeſſores ſuper præmiſſis diligenter ac ſub onere conſcientiæ intendere, dictoſquè Alumnos, alios Scholarum hujuſmodi Diſcipulos ad Eccleſiaſtica munia ritè ac rectè obeunda imbuere & informare ſatagant.

XI. Quòd Profeſſores præfati tres numerô eſſe debeant, eorumquè primus Theologiam moralem ac Philoſophiam diſtinctîs temporibûs, alter Rhetoricam unà cum Pòëſi, Poſtremus verò ex Iiſdem tribus Profeſſoribus, Syntaxim & Grammaticam primaq; ſcientiarum Rudimenta juxta providas Ordinatones & Statuta circa regimen dicti Collegii poſtmodùm emananda edocere, teneantur.

XII. Quòd Iſdem tribus Literarum Profeſſoribus præter honeſtam ſuſtentationem in eodem Collegio eis præbendam, etiam congruum ſtipendium ſeu Annua Penſio ex ſuperiùs expreſſis redditibus aſſignàri debeat.

XIII. Quòd Primus ex Iiſdem tribus Profeſſoribus, nempè qui Philoſophiæ & Theologiæ renuntiatus fuerit, Is Idem Regimen in Convictu, diſpoſitionem Æconomicam in præmiſſis omnibus ſicuti & in Coloniis ac Villis præfatis gerere & aſſumere, nec non ad menſam diſpenſare, familiam univerſam fovere, omniumquè Curam & Adminiſtrationem habere debeat.

XIV. Quòd nullus ex dictis tribus Profeſſoribus ſe ingerere vel immiſcere ullatenùs unquàm poſſit, in illis quæ Officii & muneris Clauſtralis fuerint, quæquè dictum Monaſterium ab antiquo poſſidet, Illiuſquè res & Privilegia quôquomodô concernunt.

XV. Quòd Idem Primus, nempè Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor quôlibet Annô, videlicet circa Feſtivitatem Sancti Martini Epiſcopi tàm de redditibus perceptis, quàm de expenſis

expensis per se confectis coram pro tempore existente Abbate vel Priore præfatæ Congregationis & Monasterii Tremesnensis, seu coram aliis ab eodem Abbate deputandis rationem reddere teneantur.

Cùm autem sicut eadem petitio subjungebat, Eaquæ à Sede Apostolica Confirmantur & Approbantur, eò firmiùs subsistant, & exactiùs ab omnibus observentur, proptereaq; MICHAEL Abbas præfatus plurimùm cupiat Fundationem præfatam ac Dotationem seu assignationem hujusmodi; nec non Statuta & Capitula sicut præfertur edita præfata per Nos & Sedem Apostolicam præfatam, ut infra Approbari & Confirmari; Quare pro parte MICHAELIS Abbatis præfati Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs Ei in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui justa rationequè consona petentium vota favorabiliter prosequimur, Eidem MICHAELI Abbati specialem gratiam facere volentes, Ipsumquè à quibusvis Excommunicationis, suspensionis & Interdicti, aliisquè Ecclesiasticis sententiis, censuris & pænis à Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium tamtùm consequendum harum seriè absolventes, & absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati Fundationem præfatam & Dotationem seu Assignationem hujusmodi dictaquè Statuta, seu Capitula & prout illam, seu illa concernunt, de super confectas scripturas, seu de super confecta instrumenta cum omnibus & singulis in eis contentis ac inde secutis & sequendis quibuscunquè licitis tamen & honestis Apostolica Authoritate Ipsarum tenore præsentium Approbamus & Confirmamus, Illisquè perpetuæ, inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim & efficaciam adjicimus; omnesquè & singulas tam Juris quàm facti & solemnitatum aliosquè quantumvis substantiales defectus; Si qui de super

quomodolibet intervenerint, aut intervenenisse dici, vel censeri possent, in eisdem supplemus ac Fundationem præfatam & Dotationem, seu Assignationem hujusmodi, dictaquè Statuta seu Capitula ab omnibus & singulis ad quos nunc spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum in omnibus & per omnia firmiter & inviolabiliter observari & adimpleri, Eundemq; MICHAELEM Abbatem, modernum ac pro tempore existentem dicti Monasterii Abbatem aliosquè Superiores & Personas Regulares dicti Monasterii super præmissis eorumquè tenore à quibuscunquè fungen sub quovis prætextu, colore vel ingenio, publicè vel occultè, directè vel indirectè molestari, inquietari & perturbari nullô unquam tempore ullatenùs posse nequè debere. Presentes quoquè nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis seu invaliditatis vitiò vel intentionis Nostræ, seu quopiam alio defectu notari impugnari vel invalidari nullatenus unquàm posse, nequè debere, sed semper & perpetuò validas & efficaces existere & fore suosquè & plenarios, integros effectus sortiri & obtinere, & sic ab omnibus censeri & ita per Quoscunq; Judices Ordinarios vel Delegatos quavis Authoritate fungentes etiàm causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictæquè Sedis Nuntios Judicari & definiri debere, & si secùs super his à Quoquam quavis Authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inanè decernimus, non obstantibûs quibûsvis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusq; Consiliis editîs, vel edendîs specialibûs vel generalibûs Constitutionibûs & Ordinationibûs Apostolicîs, & Privilegiîs quoq; Indultîs & Literîs Apostolicîs in contrarium præmissorum quomodolibet concessîs, approbatîs & invocatîs, quibus omnibus & singulis etiamsi de Illis eorumquè totis tenoribus specialis specificata expressa & individua mentio habenda sit,

eorum

eorum tenores ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſsô & formâ in illis traditâ obſervatâ præſentibus inſerti forent, eiſdem præſentibûs pro expreſſis habentes illis, aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum omnium & ſingulorum validiſſimum effectum latiſſimê & pleniſſimè ac ſpecialiter & expreſsè, nec non opportunè & validè hac vice duntaxàt harum quoquè ſerie derogamus, cæteriſqé contrariis quibuſcunqué, nulli ergo omninò hominum liceat hanc Paginam Noſtræ Abſolutionis, Confirmationis, Approbationis, roboris, adjectionis, defectum ſuppletionis, Decreti & derogationis velle auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem Annô Incarnationis Dominicæ 1774. Quintô Idus Maji. Pontificatûs Noſtri Annô Quintô.

Loco † Plumbi

Super quibus literis Apoſtolicis Ego Notarius Publicus præſens Tranſumptum confeci, ſignoq; ac ſubſcriptione munivi, & inde valeat, ac ſi Literæ Originales exhibitæ forent, Præſentibûs Dominîs STEPHANO GIANDY & JOSEPHO Amicis teſtibus.

Concordat cum Originali.

RYGANTI Officialis

L. S. Officialis.

C. Subdelegatus.

Ità eſt PHILIPPUS PINELLI Notarius Apoſtolicus

L. S. Signi Notarii

Phi: LANZONUS.

BREVE

BREVE APOSTOLICUM
Dilecto Filio MICHAELI KOSMOWSKI Abbati Tremeſnenſi

CLEMENS PAPA XIV.
Dilecte Fili Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ET ſi aliàs hoc tempore ad Te Dilecte Fili damus in forma Brevis Literas, quibus novum Collegium à Te fundatum Apoſtolica Authoritate Approbamus, ſeorsùm tamen has etiam perſcribere duximus, ut quam prolixa ſit in Te voluntas Noſtra, quamq; ob id præclarum Conſilium plenaqué virtutis ac publicæ perpetuæqué utilitatis Actionem Tuam Te diligamus, meritiſq; Laudum & Pontificiæ Commendationis Ornamentis cognoſceres. Hoc itaqué Tibi maximè perſuaſum eſſe volumus Dilecte Fili, luculentiſſimos eſſe Noſtros erga Te Paterni animi ſenſus, ac vehementer inflammatos ad Te omni Apoſtolicæ caritatis ſtudiô proſequendum. Illud verò potiſſimum à DEO Optimo Maximo petimus ac precamur, ut quod tanta Literalitate Tuaqué Laude Conſtituiſti Collegium optatiſſimos exitus habeat, magiſq; in dies & ad iſtius Oppidi decus & ad Divinæ Gloriæ Incrementum efloreſcat, ac in Paternæ ſingularis benevolentiæ pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi Dilecte Fili peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 14. Maji 1774. Pontificatûs Noſtri Annô V.

L. S.

CONGREGATIO TREMESNENSIS
Submittit ſe, Scholas docere, Alumnos fovere, & integram Fundationem perpetuò manutenere.
Actum in Capitulo Congregationis Tremeſnenſis Annô 1774. die 23. Julii.

CElebratum eſt Capitulum Congregationis Canonicorum Lateranenſium in Monaſterio Tremeſnenſi ſub Præſidentia Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini MICHAELIS *Kościeſza* KOSMOWSKI, Congregationis præfatæ Canonicorum Lateranenſium Abbatis, Congregatîs Nobis Omnibus infraſcriptis & ſubſcriptis Capitularibus, ſeu prædictum Capitulum intrantibus, idqué ſpecialiter ad Actum præſentem Convocatis. In quo quidem Capitulo taliterer, ut præmiſſum eſt Celebrato, ac in forma debita conſtituto, poſtquam Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Abbas Prælatuſquè Noſter, ac reſpectivè Fundator ex Urbe à Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTE XIV. feliciter Regnante, tam tranſumptum Authoriſatum Bullæ, ſeu beneplaciti Sanctæ Sedis, quàm ſeorſivas Literas Pontificias ad ſe directas receperit, quibus præprimis ex cauſa glorioſæ univerſis jam fermè notæ Erectionis Summus Pontifex maximè perſuaſum haberi volens, luculentiſſimos eſſe ſuos erga prælaudatum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Abbatem Noſtrum, Paterni animi ſui ſenſus, ac vehementer Inflammatos ad eundem omni Apoſtolicæ charitatis ſtudio proſequendum ſuprema ſua Approbatione omnia & ſingula novam Fundationem Collegii Nobilium ac Scholarum concernentia munit ac roborat, & operi huic in pignus ſingularis benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertitur.

Eaſdem

Easdem unà cum Literis ab Illustrissimo & Excellentissimo Domino JOSEPHO GARAMPI Archi-Episcopo Beritensi, ac in Regno Poloniæ Nuntio Apostolico Nostro Capitulo gratiose communicavit, ac publice in eodem legi & promulgari fecit. Præsens itaq; Capitulum Nostrum perlectîs cum Summa dulcedine recensitis Literis Bullis ac reliquis Scripturis eò pertinentibus, cum evidenter observaverit non omnino prætendi, quatenus ad regendum Collegium, docendasq; Scholas extranei conducantur Professores, nullamqué ibi fieri mentionem pro ejusmodi Officiis ex Universitate Cracoviensi assumendorum, quinimò Illustrissimus & Reverendissimus Abbas circa plenam libertatem iîs mediantibûs relinquatur, & quidquid posterius in Capitulis Nostris Constituerit, ac pro meliori nominatæ Fundationis in futurum Ordinaverit pro rato haberi declaretur, spectatis quoq; Literis ab Illustrissimo & Excellentissimo Nuntio die 30. Junii Annô 1773. *Varsaviæ* datîs, ubi Nobis suavissima talis ponitur expressio ac formalia.

„ Hoc tandem opus est, quod Ordinem decet Canonicum
„ ac Sacerdotalem, cujus est scientia ac pietate non modo per
„ se excellere, sed has etiam virtutes alteri communicare, quod
„ fieri quanam ratione potest nisi Scholarum usu & Institutione.

Præterea animadvertentes idem Capitulum qualiter Congregatio sua spem paratissimamqué occasionem bene merendi àpud Serenissimam Rempublicam Polonam difficili negotio similem aliquando obveniendam amitteret, si Collegii Regimen tenerent, & in Cathedris Scholarum sederent, alterius Instituti Personæ, cupiens insuper à molestia in conducendis de longinquo toties, quoties Professoribus Academicis manere alienum Capitulum Nostrum, quinimo per sedulam vigilantiam applicationemqué in erudiendo Polonam Juventutem utilem se suæ Patriæ Congregatio Nostra exhibere ferventer peroptans, prædictam Fundationem Scholarum & perpetuam Nobilium Alu-

mnorum

mnorum educationem, juxta Ordinationes ab Illuſtriſſimo Reverendiſſimo Domino Fundatore formatas formandaſqué, & Statuta Condita condendaqué nunc & in ævum offert, ſubmittit ſe & ſpondet, adminiſtrare, docere, fovere & manutenere, ex ſuoqué gremio inceſſanter pro omni tempore Profeſſores idoneos providere, curamqué gerere tàm in temporalibus quàm in ſpiritualibus conſtantem ac perpetuam per Deputatum & Deputandos ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Fundatore Ejuſq; Succeſſoribus, ut omnia ſive quæ ſpectant ad Scholas docendas publicas, ſive deniqué quæ ſpectant ad Bona, ſeu Colonias & reditus eidem Fundationi ceſſos, & Incorporatos, ſint ſecundùm mentem Fundatoris ad continuam DEI gloriam, & Sereniſſimæ Reipublicæ emolumentum, & ad ſervandam ſemper inviolabilem hanccè Fundationem, & ad omnia puncta in ordinatione expreſſa immutabiliter adimplenda ſeriò ſuam ſuorumqué Superiorum præſentium & futurorum obligat ac onerat conſcientias, ne & DEO ſupremo Judici, & Legis Patriæ rigori tùm pro negligenti Adminiſtratione, tùm (quòd Superi avertant) pro quavis defraudatione voluntatis Fundatoris reſpondeat. Cui Noſtræ ſubmiſſioni, acceptationi, obligationiqué ùti juſtæ cum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Abbas, Fundatorqué favorabiliter annuerit & ſubſcripſerit; Prænominata Congregatio ſupplicat, ut Sereniſſima Reſpublica Sacraqué Nuntiatura Apoſtolica modernum Actum Noſtrum unà cum tota Fundatione, & Scholis Approbet, Confirmet, & Ratificet, ſalvîs omnibûs ſancitîs Statutîs & Ordinatîs eò ſpectantibûs à Sereniſſima Commiſſione Literatorum, Sacraquè Nuntiatura emanatîs aut emanandîs. Præſentibûs Congregationis Capituli Tremeſnenſis Capitularibûs ſe ſubſcribentibûs Virîs, nempè Perilluſtribûs Illuſtribûs & Admodùm Reverendîs Staniſlaô Wandkowſki Congregationis Tremeſnenſis Priore, nec non Electô Conventus Lu-

branecensis Præposito, Francisco Krauze Vice-Priore, Andrea Kaszubski, Francisco Zgórski Magistro Novitiorum, Præposito *Gąsaviensi*, Constantino Rozalski Causarum Procuratore, Paulo Dryndziński, Sventoslao Kozanecki, Joanne Dymitrowicz Custode Ecclesiæ Tremesnensis, Antonio Rossa Thesaurario, Michaële Morawski, Francisco Gierbig Canonicîs, & me Casimiro Rosołkiewicz, Actorum Capituli Notariô.

Casimirus Rosołkiewicz Venerabilis Capituli Secretarius, Sacra Authoritate Apostolica Notarius Publicus

CIVITAS THORUNENSIS
Inscribit Summam Decem Millium Florenorum Polonicalium, seu Quinquè Millium Floren: Pruthenicorum.

PRæconsules & Consules Civitatis Thorunensis, nec non Æconomi trium Ordinum ejusdem Civitatis, Nostro & Successorum Nostrorum in Officio in futurum existentium Nomine, notum testatumquè facimus Literîs præsentibûs; quòd Nos ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino MICHAELE KOSMOWSKI Abbate Tremesnensi pro necessitate communi Civitatis hujus Summam Quinque Millium Florenorum Bonæ in Terris Prussiæ currentis Monetæ, quemlibet triginta grossis Prussicis numerando, à die Sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum Anni præsentis 1774. Incipiendi mutuò accepimus, levavimus, inquè usum & necessitatem Civitatis covertimus; Promittimus itaquè atquè pollicemur quàm firmissimè

Præfato

Præfato Illuſtriſſimo & Reverendiſſio Domino Creditori Noſtro, non tantùm Proviſionem per quatuor florenos Ducentos efficientem quotannis pro eodem termino ad quietationem Illius, ſed etiàm Summam Capitalem quam pro majori ſecuritate in Prætorio Civitatis aſſecuramus & inſcribimus, prævia tamen ſemeſtri aviſatione, ſufficientiq; coram ſpectabili Judicio Veteris Civitatis hujus quietatione, in ſuperpræfata tunc currente moneta præcisè, & abſqué omni mora exſoluturos, & enumeraturos eſſe. In præmiſſorum fidem Sigillum Civitatis hujus his apprimi fecimus. Actum & Datum Thorunii die 13. Menſis Octobris Annô 1774.

Joannes Chriſtophorus Blumigk
Cameræ Notarius
mpp.

L. S. Civitatis Ejuſdem.

INSCRIPTIO
In Capitulo Tremeſnenſi Menſæ Alumnorum & toti Collegio Advocatiæ *Płaſzkowa* & Apothecæ Comparatæ, atq; Summæ Decem Millium Floren: Polonicalium in Prætorio Thorunenſi locatorum pro Stipendiis Pauperioribus Studioſis Pſalterium Nocturnum decantantibus ex Cenſu Proveniente diſtribuendis.

 Actum

Actum in Capitulo Tremesnensi Canonicorum Regularium Lateranensium Annô Domini 1774. die 10. Novembris.

CElebratum est Capitulum per Nos voce activa & passiva fungentes & ad illud solito more in locum Consiliorum Congregatos, in quo Illustrissimus & Reverendissimus Dominus MICHAEL *Kościeſza* KOSMOWSKI Actualis Abbas & Prælatus Noster satisfaciendo suæ declarationi his in Actis de Annô 1773. die 8. Mensis Novembr. factæ, inhærendoq; unanimi in id consensui totius suæ Congregationis, ibidem præfato & expresso Advocatiam *Płaszkowo* in Bonis *Szydłowo* Mensæ suæ Abbatialis sitam & seorsivè consistentem à Generosis Antonio & Magdalena Kruszewskie pro Summa florenorum Polonicalium Septem Decem Millium juxtà obloquentiam Contractûs redemit, & Mensæ Alumnorum Juvenum Duodecem Nobilium Collegii Tremesnensis Inscripsit & perpetuò Incorporavit; Similiter quoquè Summam Decem Millium florenorum Polonicalium cum Annuo ab eodem censu per quatuor à Centum pro octo Pauperioribus Studiosis, ut per Ipsos Psalterium Nocturnum horatìm inevitabiliter per sæcula decantetur, in Prætorio Thorunensi de Annô 1774. die 13. Mensis Octobris locatam Iisdem præfatis Studiosis Inscripsit ac Incorporavit, Inscribitq; & incorporat in perpetuum.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremesnensis
mpp.

SUb eodem Actu pari solemnitate Jure ut præexpressa, Apothecam cum suo reditu, ac libero usu Medicamentorum propter Alumnos & Scholarum Professores juxta Obloquentiam Privilegii

Privilegii Domino Dultzyn Medico dati his in Actibus æqualiter cum aliis munimentis ingrossandi Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Abbas, eidem Collegio Alumnorum, dedit, donavit, applicavit, & in perpetuum his Actis Inscripsit, manuquè sua subscribit.

MICHAEL KOSMOWSKI
Abbas Tremesnensis
mpp.

CONSTITUTIO REGNI
In Comitiis Varsaviæ Generalibus Approbatoria Fundationis & Dotationis Collegii Nobilium. *Sub Titulo.*

Ubespieczenie Fundacyi Szkoł y Konwiktu Nowego &c.

Actum in Curia Regia Varsaviensi feriâ quinta Magna Cænæ Domini, videlicèt die 13. Mensis Aprilis, Annô Ejusdem 1775.

AD Officium & ad Acta præsentia Castrensia Capitanealia Varsaviensia personaliter veniens Magnificus FLORIANUS DREWNOWSKI, Pocillator Terræ Łomzensis, Confederationis Generalis & Comitiorum Extraordinariorum Regni Secretarius, Eidem Officio & Actis Ejus Sancitam Constitutionem infrascriptam obtulit & ad ingrossandum in Acta præsentia porrexit.

UBESPIE-

UBESPIECZENIE FUNDACYI
Szkoł y Konwiktu Nowego w Trzemeſznie.

ZApatruiąc ſię ná chwalebne y pożyteczne Kościołowi y Oyczyźnie dzieło przez Wielebnego MICHAŁA KOSMOWSKIEGO, Opata Klauſtralnego Trzemeſzeńſkiego dlá Edukacyi Dwunaſtu z Szlachetney Młodzi Narodowey Alumnów z Konwiktem y Szkołami w Mieście Trzemeſznie przy Opactwie y Kościele nowo uſtanowione, y dochodem przyzwoitym Opatrzone, pomienioną Fundacyą mocą Seymu tego zapełnie ſtwierdzamy.

ANTONI OSTROWSKI B. K. y P. Præſes.
ADAM Xiąże *Łodzia* PONINSKI Marſzałek Generalney Konfederacyi Koronney y Seymowy
mpp.

MICHAŁ HIERONIM RADZIWIŁŁ M. M. K. G. W. X. Litt: y Seymowy
mpp.

Poſt cujus quidem Sancitæ Conſtitutionis ſuperius præinſertæ in Acta præſentia Ingroſſationem, Originale ejuſdem eidem Offerenti prævia Officii ſui quietatione eſt extraditum.

PUCHAŁA *mpp.*

L. S. Caſtrenſis Varſavienſis.

Lectum cum Originali per Hermann.

DIPLOMA
Celſiſſimi Loci Ordinarii ſeu admiſſio Bullarum & omnium Approbationum totius Fundationis.

GABRIEL JOANNES
JUNOSZA COMES In SRENSKO à PODOSIE
PODOSKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archi-Epiſcopus Gneſnenſis Legatus Natus Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ PRIMAS Primuſq; PRINCEPS, Abbas Commendatarius Tinecenſis & Paradiſienſis, Præpoſitus Generalis Miechovienſis, Ordinum Aquilæ Albæ & Sancti ANDREÆ Eques.

UNiverſis & ſingulis quorum intereſt, intererit aut aliquomodo intereſſe poterit, ſignificamus & ad notitiam indubitatam deducimus; Quòd cum Nobis jam anteriùs pia ac laudabilis Mens Perilluſtris & Reverendiſſimi MICHAELIS KOSMOWSKI, Abbatis Clauſtralis Tremeſnenſis, totiuſq; ejuſdem Monaſterii innotuiſſet, quâ ad præſtanda Eccleſiæ Catholicæ & Reipublicæ quàm maxima obſequia accenſi, Scholas Publicas in Oppido ſuæ Abbatiæ Tremeſna erigere & aperire in animum induxerat. Nos tam piæ & ſaluberrimæ intentioni manum Noſtram accingere volentes, Commiſſionem

adhunc

adhuc in Annô 1773. in Perſonam Perilluſtris JOSEPHI MATHI, Canonici Metropolitani & Judicis Surrogati Gneſnenſis ad examinandam ejuſmodi Scholarum Fundationem deſignandam eſſe cenſuimus, ex cujus voto de quàm maxima utilitate & emolumento tàm Eccleſiæ Catholicæ, quàm & Reipublicæ ex ejuſmodi Eruditione Juventutis in Divinis humaniſquè Literis emerſuro plenè & ſufficienter informati. Conformantes ſe præterea tàm Beneplacito Sedis Apoſtolicæ, Ejuſmodi Conſilium & Opus ſummopere Collaudantis, quàm & conſenſui totius Sereniſſimæ Reipublicæ in anteactis Comitiis dato, hujuſmodi Fundationem Apertionis Scholarum, ùti omni ex parte laudabilem ità Archi-Diæceſi Noſtræ Gneſnenſi ſummopere proficuam in toto Approbamus, Confirmamus & Ratificamus, omnimodamq; facultatem aperiendi eaſdem Scholas, ac Juventutem in Divinis, humaniſq; Literis Inſtruendi Authoritate Noſtra Ordinaria Damus & Concedimus. In quorum fidem præſentibus Sigillum Noſtrum eſt appræſſum. Datum *Varſaviæ* die 23. Menſis Auguſti, Annô Domini 1775.

GABRIEL JOANNES Archi-Epiſcopus
& Primas
mpp.

L. S.

Joſephus Dołwnar Regens Cancellariæ
Suæ Celſitudinis Primatialis
mpp.

BUL-

BULLA
SANCTISSIMI PII VI. SUMMI PONTIFICIS.

Quâ datur facultas docendi Scholas, & Fundationem Adminiſtrandi Canonicis Regularibus Lateranenſibus Congregationis Tremeſnenſis.

In Nomine Domini, Amen.

CUnctis ubiquè pateat, & evidenter ſit notum, quòd Annô à Nativitate Domini 1775. die verò 23. Menſis Auguſti, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſtô Patris & Domini Noſtri PII Papæ VI. Annô Primo. Ego Officialis Deputatus vidi & legi quaſdam Literas Apoſtolicas ſub Plumbô more Romanæ Curiæ expeditas tenoris ſequentis, videlicet.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum DEI,

AD perpetuam rei memoriam, Humanarum rerum quandoquè ferre ſolet conditio, ut poſt alicujus boni Operis Inſtitutionem, ac etiam poſt aliquas per Nos, ſeu Romanos Pontifices, Prædeceſſores Noſtros ad petentium Preces providè ſuper hoc factas diſpoſitiones, non raro tamen diſſentiones ac controverſiæ ſuper Illis ab Illarum Interpretatione ac obſervan-

tia ſuboriri contingant; Hinc eſt quod recurrentibus priùs ad Nos Partibus ad Id intereſſe habentibus, inter cæteras Noſtræ Providentiæ Curas eam quoquè ducamus aſſumendam, per quam diſſenſiones ac controverſiæ hujuſmodi opportunæ declarationis præſidio penitùs in poſterum arceantur, ac bona Opera & diſpoſitiones hujuſmodi optatis non fraudentur effectibus, ſicq; earundem Partium quieti & tranquillitati conſulere valeamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire; Sanè pro parte Dilecti Filii MICHAELIS KOSMOWSKI moderni Abbatis Regularis Monaſterii Abbatiæ nuncupati Tremeſnenſis Ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis Gneſnenſis Diæceſis Nobis nuper expoſito, quòd aliàs Ipſe MICHAEL Abbas ut commoditati & Profectui Juvenum Illarum Partium generis Nobilitate præditorum aliunde rectam ingenii animiq; culturam comparare non valentiùm conſuleret prope dictum Monaſterium, quod minimè collativum exiſtit, videlicet in Oppido Tremeſnenſi dictæ Diæceſis quoddam Collegium pro Duodecem Nobilibus Pauperibus tamen Juvenibus, ut in eodem Collegio præfati Duodecem Nobiles Juvenes in qualitate Alumnorum aſſiduè ſuſtentari, ibiq; non ſolùm bonis Artibus ſcientiiſquè operam dare, ac optimis moribus Imbui, ſed etiam piis exercitationibus ac pietati ſedulò vacare poſſint, erexit & fundavit, ac pro Illius Collegii bono rectoquè Regimine Illiuſq; valida & efficaci ſubſiſtentia nonnulla Statuta ſeu Capitula edidit, & ſucceſſivè Idem MICHAEL Abbas de eiſdem Approbationem & Confirmationem Apoſtolicam à Sede Apoſtolica exportavit, ac aliàs prout in Literis Apoſtolicis deſuper expeditis pleniùs continetur. Cùm autem eadem expoſitio ſubjungebat inter alia ex dictis Statutis, ſeu Capitulis, ut perfertur Approbatis & Confirmatis, adſit illud videlicet, quod in dicto Collegio tres in numero eſſe debeant Profeſſores, quorum Primus

Theolo-

Theologiam Moralem & Philoſophiam & alter Rhetoricam unà cum Pòéſi, tertiùs verô ex dictis tribus Profeſſoribus Syntaxim & Grammaticam primaquè Scientiarum rudimenta docere teneantur, quin tamen in eodem Statuto ſeu Capitulo exprimatur, unde Profeſſores hujuſmodi ſint deſumendi, MICHAEL Abbas verò præfatus animadvertens quòd inter Canonicos Regulares dicti Monaſterii reperiantur habiles & capaces ad ſcientias hujuſmodi exercendas proptereaq; plurimum cupiat ſibi de infraſcripto declarationis remedio per Nos & Sedem Apoſtolicam præfatam ut infrà benigne provideri; Quare pro parte dicti MICHAELIS Abbatis fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut Ei in præmiſſis opportunè Conſulere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui juſtis & honeſtis petentium votis libenter annuimus, illorumquè quieti & tranquillitati proſpicere volumus, Eundem MICHAELEM Abbatem amplioris gratiæ favore proſequi volentes, Ipſumquè à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis & Interdicti aliiſquè Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris & Pænis, à Jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet Innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujſmodi ſupplicationibus inclinati ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & regularium præpoſitæ, quod tres Profeſſores hujuſmodi in dicto Collegio eſſe debebunt pro ſcientiis hujuſmodi edocendis tàm ab Ipſo MICHAELE Abbate quàm ab Ejus in dicto Monaſterrio Succeſſoribus Abbatibus Regularibus ſeligi debeant, ex dictis Canonicis Regularibus præfati Monaſterii, quòd etiam per neceſſarium reditur ex eo, quòd in dictis Scholis etiam Canonici Regulares ſtudentes Ipſius Monaſterii intervenire debebunt. Eveniente verò caſu, quòd in eodem Monaſterio non adſint Canonici

 nonici

nonici Regulares ad Magisteria hujusmodi exercenda periti, tunc pro tempore existens dicti Monasterii Abbas Regularis tres Professores hujusmodi aliundè prout opportunius Judicabit seligere possit, Apostolica Authoritate earundem tenore præsentium perpetuò declaramus; Ipsum MICHAELEM Abbatem ac pro tempore existentem dicti Monasterii Abbatem Regularem à quibusvis etiam Curiis seu Earum Promotoribus Fiscalibus vel quibusvis Studiorum Universitatibus etiam Generalibus quavis Authoritate occasione vel causa aut quovis prætextu, colore vel ingeniô molestari, inquietari, perturbari aut impediri nullatenùs unquàm posse, sed declaratione per Nos ut perfertur concessa hujusmodi, semper & perpetuò pacificè frui & gaudere. Præsentes quoquè nullo unquam tempore ex quocunquè Capite aut quavis occasione vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis, seu invaliditatis vitio vel intentionis Nostræ, seu alio quolibet defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad viam & terminos Juris reduci, seu adversùs illas quocunquè Juris gratiæ vel facti remedium impetrari posse, sed eas semper & perpetuò validas & efficaces, & esse & fore suosquè plenos & integros effectus sortiri, & obtinere, ac præfato MICHAELI Abbati, Ejusquè in dicto Monasterio Successoribus Abbatibus Regularibus præfatis, quorum favorem præmissa concernunt plenissimè Suffragari, sicquè & non aliàs per quoscunquè Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis Authoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictæq; Sedis Nuntios Judicari & definiri debere, & quidquid secùs super his à quoquam quavis Authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibûs etiam in Synodalibus Provincialibus, Generalibus, Universalibusq;

libusq; Conciliis editis vel edendis specialibus vel Generalibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, & quatenùs Opus sit dicti Monasterii & Ordinis præfati, etiam Juramenti Confimatione Apostolica vel quavis firmitate aliàs roboratis Statutis & consuetudinibus Privilegiis quoquè Indultis & Literis Apostolicis, quibusvis studiorum Universitatibus, etiam generalibus ac specialem mentionem & expressionem requirentibus, ac aliàs in contrarium præmissorum, quomodolibet forsan Concessis, Approbatis, Confirmatis & innovatis, quibus omnibus & singulis etiamsi de Illis eorumq; totis tenoribus specialis specifica & expressa & individua mentio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omissio, & forma in illis tradita observata præsentibus inserti forent. Eisdem præsentibus pro expressis habentes, Illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum omnium & singulorum validissimum effectum latissimè & plenissimè ac specialiter & expressè hac vice duntaxàt harum quoquè seriè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunquè. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Absolutionis, Declarationis, Decreti & Derogationis Infringere, vel ei causæ temerariè contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem Annô Incarnationis Dominicæ 1775. Decimô Nonô Calendas Septembris, Pontificatûs Nostri Annô Primo.

Loco † Plumbi

Super quibus literis Apostolicis Ego Notarius Publicus præsens Transumptum confeci, signoq; ac subscriptione munivi, ut

ut indè valeat, ac si Literæ Originales exhibitæ forent, vel ostensæ.

Præsentibûs Dominis VINCENTIO FERRI, ac DOMINICO MONTY Testibus.

Concordat cum Originali.

RYGANTI Officialis *mpp.*

A. Card: Pro: Datario *mpp.*

Ità est PHILIPPUS Notarius Apostolicus.

L. S. Officialis.

L. S. Signi Notarii LANZONUS.

DECRETUM CAPITULI

Quô Stallum primum post Superiores Illustri Sholastico, seu Rectori Collegii Adjudicatur.

Actum in Capitulo Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Tremesnensis Annô Domini 1776. die 3. Januarii, quæ erat feria quarta post Dominicam infrà Octavam Nativitatis Domini JESU CHRISTI.

PRæsidente Illustrissimo & Reverendissimo Domino MICHAELE *Kościeſza* KOSMOWSKI, Abbate & Prælato commu-

Communitatis Noſtræ reſpectiveq; Fundatore. Præſentibûs autem Reverendiſſimo Domino Staniſlao Wandkowſki Præpoſito Conventûs *Lubranecen:* actuali Priore Tremeſnenſi, tum Illuſtribûs Reverendis, Admodum Reverendis Patribus nempè Franciſco Xaverio Krauze Vice-Priore, Franciſco Saleſio Zgórſki, Magiſtro Novitiorum Præpoſito *Gąsavienſi*, Conſtantino Rozalſki Cauſarum Procuratore, Joanne Dymitrowicz Eccleſiæ Cuſtode, Antonio Roſſa Sacratiſſimi Roſarii Promotore, Franciſco Gierbig Germanorum Ordinario Concionatore, Conſtantino Bieliżyńſki, Cajetano Grochowicki Scholaſtico, & me Caſimiro Roſołkiewicz Secretario, in forma legitima Celebrato.

Quod præexpreſſum Venerabile Capitulum eò attentô, qualiter juxta Obloquentiam Conſtitutionis Ordinis Noſtri. Quæcunquè Perſona de gremio Communitatis in Officio Scholaſtici Conſtituta ab omnibus honore præveniri debeat, quòd neceſſario de præcedentia intelligendum eſſe cenſet, ac Judicat, quæ præcedentia cum potiori ratione ad præſens circa ſubſecutam Fundationem Alumnatûs & Scholarum recenſito Scholaſtico competat, quali in Functione non modo Fratres Congregationis Noſtræ Juniores Philoſophiam Theologiamq; docere, ſed etiam multos aliòs graves labores pro Inſtitutione Adoleſcentum Status Sæcularis regimine & directione Profeſſorum ſibi ſubordinatorum adminiſtratione in Spiritualibus & temporalibus Collegii Eum ſubire oportebit; Idcirco idem Venerabile Capitulum Inſiſtendo prætactæ Conſtitutioni Parte II. Capite VIII. poſitæ, Conformando ſe præterea hoc in puncto Praxi & Mori aliarum Religionum, ex pluribuſq; alìis juſtis motivis unanimiter ſpontaneè, ac ſine ulla contradictione Digniorem Excellentioremq; vocationem immediate poſt Vice-Priorem in omnibus publicis Actibus, Choro, Proceſſionibus privatiſq; Conſeſſibus prænominato Scholaſtico in perpetuum fixe ſtabiliterquè cum ſuis Succeſſoribus (quatenùs præter alias gra-

tias

tias & favores ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Prælato ſibi attributos, etiam hujuſmodi adminiculo & diſtinctione cum laude & fructu munus ſuum ardentius proſequeretur) aſſignavit. Modernumquè Illuſtrem Reverendum Dominum Cajetanum Grochowicki actualem Scholaſticum hancce Prælaturam jam ab aliquo tempore glorioſè exercentem, tali Stallo uti, & gaudere licere, eiquè convenire decrevit, ac in continenti ad Capeſſendam Poſſeſſionem Ejuſdem, Eundem Invitavit. Poſt Superioreſquè ſeu Prælatos Clauſtrales in Sede intuitu duntaxat prædicti Officii collocavit, alias ab hac Functione ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Fundatore amotum, vel in eadem pro longiore decurſu non Confirmatum, Illum ſive Ejus quemcunq; Succeſſorem Scholaſticum ad ſuam primævam Vocationem & gradum redire teneri pronuntiavit præſenti vigore. Quod quidem Decretum ut ſuum robur pro ſemper & in ævum retineat, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Abbas cum ſuo Capitulo ſubſcribit, Actum Annô, Menſe, die *ut ſuprà.* Præſidente Præſentibûſq; quibus ſupra & ſubſcriptis.

Caſimirus Roſołkiewicz Canon: Regul: Lateran: Sacra Authoritate Apoſtolica Notarius Publicus, Venerabilis Capituli Secretarius

mpp.

ADMIS-

ADMISSIO BULLÆ PII VI.
Et Executio Illius.

IGNATIUS AUGUSTINUS
SARIUSZ à KOZIEROGI
KOZIEROWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Adratensis, Canonicus Metropolitanus & Vicarius in Spiritualibus Generalis Gnesnensis, Mstoviensis & Radomscensis Præpositus.

UNiversis & singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit significamus, & ad notitiam indubitatam deducimus. Nobis præsentatum esse Authenticum suprascriptum Instrumentum Laterarum Apostolicarum Sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri PII Papæ VI. Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem Annô Incarnationis Dominicæ 1775. Decimô Nonô Calendas Septembris Pontificatûs Ejus Annô Primô expeditarum. Quibus in elucidationem seu supplementum Bullæ Sacræ memoriæ CLEMENTIS XIV. pariter Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem Annô Incarnationis Dominicæ 1774. Quintô Idûs Maji, Pontificatûs Ejus Annô Quintô emanatæ, & per Celsissimum & Reverendissimum Dominum Loci Ordinarium speciali Diplomate *Varsaviæ* die 23. Mensis Augusti, Annô Domini 1775. laudatæ, probatæ & admissæ perpetuò declaratur, imò per necessarium

G Oraculo

47

Oraculo Pontifico cenſetur in Collegio Tremeſnenſi ArchiDiœceſis Gneſnenſis ad effectum Scholas docendi Juvenes Nobiles ſeu Alumnos erudiendi poſſe, à Reverendiſſimo Abbate Clauſtrali Monaſterii Tremeſnenſis moderno Ejuſq; Succeſſoribus pro tempore exiſtentibus ſeligi Viros idoneos ex Canonicis Regularibus Lateranenſibûs Ejuſdem Monaſterii, ac pro earum admiſſione & executione humiliter pro parte Ejuſdem Reverendiſſimi Abbatis ſupplicatum fuiſſe, cujus Precibus uti juſtis rationi conſonis Majorem DEI Gloriam & Boni publici Incrementum reſpicientibus Inclinati, nec non conformantes ſe benignæ admiſſioni anterioris Bullæ præreccenſitæ per Celſiſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Loci Ordinarium factæ, ſupramemoratas Literas Apoſtolicas, uti ſanas ſalvas ac illæſas, ac omni prorsûs ſuſpicionis notâ carentes Authoritate Vicariatûs Noſtri Generalis admittimus, & ad effectum quantocitiùs deduci & exequi ſecundùm tenorem & Obloquentiam earundem Literarum Apoſtolicarum Concedimus. In quorum fidem præſentibus Manu Noſtra propria ſubſcriptis, Sigillum Noſtrum apponi Juſſimus. Datum *Gneſnæ* die 26. Menſis Aprilis Annô Incarnationis Dominicæ 1776.

IGNATIUS A. KOZIEROWSKI Epiſcopus Adratenſis, Canon: Metropol: & Vicarius in Spiritualibus Gñralis Gneſnenſis.

mpp.

L. S.

INSTRUMENTUM
Notarii Apoſtolici, teſtificans Publicam Scholarum Tremeſnen: Apertionem.

In Nomine Domini, Amen.

Ad perpetuam rei memoriam.

EGo infraſcriptus Publicus Sacra Authoritate Apoſtolica Notarius Juratus intra Archi-Diæceſim Gneſnenſem admiſſus ad dandum fidele veritatis & publicum Teſtimonium de ſubſecuta ſolemni Apertione Scholarum publicarum, juxta ſuas Leges Conceſſiones Indulta Jura & Privilegia, à Sancta Sede Apoſtolica habita & obtenta, nec non juxta Conſtitutionem à Sereniſſima Republica Polona ſuper hocce emanata in Generalibus Comitiis ac juxta Diploma Conſenſûs & licentiæ Celſiſſimi Loci Ordinarii, per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum MICHAELEM *Kościeſza* KOSMOWSKI Prælatum Abbatemq; Clauſtralem Tremeſnenſem pro erigendis in perpetuum Duodecem Alumnis Nobilibus, ac alia cujucunquè Conditionis Juventute & Perſonis in Doctrinis Scientiiſq; in Oppido ſuo *Trzemeſno* nuncupato, prope ſuam Eccleſiam Conventualem Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium ibidem ſitam piè gratioſiſſimequè fundatarum & extructarum debitè requiſitus; Eidem uti juſtæ requiſitioni annuendo & realiter deferendo, præſenti publico Recognitionis & Teſtimonii mei Inſtrumento, notum teſtatumq; univerſis & ſingulis facio. Qualiter Annô à Nativitate Dñi 1776. Indictione Romana IX. Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini PII Divinâ

Providentiâ Papæ, Ejus Nominis VI. feliciter moderni, Annô Coronationis Ipsius II. die verò Mensis Maji 4. horîs pomeridianis in numerosa Copia dignorum hospitum ex Statu Spirituali ac Sæculari, præcipuè autem tunc personaliter Tremesnæ existentium, Illustrissimo Excellentissimo & Reverendissimo Domino IGNATIO *Saryusz* KOZIEROWSKI Episcopo Adratensi, Canonico Metropolitano Gnesnensi Præposito Mstovensi Radomscensiq;, uti & tanquàm per Celsissimum Principem Illustrissimum Excellentissimum & Reverendissimum Dominum GABRIELEM JOANNEM *Junosza Comitem de Podosie* PODOSKI Archi-Episcopum Gnesnens: Legatum Natum &c. totius Archi-Diæcesiæ Gnesnensis Constituto in Spiritualibus Vicario Generali ad hujusmodi Actum & ritum specialiter delegato Executore, Comparentibûs quoq; Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis, Antonio Sierakowski Supremo Regni Notario, Custode Metropolitano Gnesnensi, Cancellario Primatiali, & Josepho Ryczywolski, Sacræ Theologiæ Doctore, Canonico Metropolitano Gnesnensi, Perillustribûs Reverendissimis Dominis Bonaventura Christ, Prælato Præposito ad S. Joannem Gnesnensi, Stanislaô Wandkowski Prælato Præpositô Congregationis *Lubranecensis* Canonicorum Regularium Lateranensium Priore Tremesnensi, Magnifico ac Generoso Domino Josepho Rossen Colonello Exercitûs Regni, Illustribus Admodum Reverendis Dominis, Francisco Krauze Vice-Priore, Francisco Zgórski Præposito *Gąsaviensi* Magistro Novitiorum, Constantino Rozalski Causarum Procuratore, Joanne Dymitrowicz Custode Ecclesiæ Tremesnensis, Antonio Rossa Sanctissimi Rosarii Promotore, Canonicîs Regularibus Lateranensibus, Joanne Zaleski Curato *Kruchoviensi* Sæculari, aliîsquè permultis assidentibus & Inspectantibus prædicta solemnis apertio, atq; formalis Studiorum peractîs ad nutum Illustrissimi & Reverendissimi Domini Fundatoris, super Propositis à Perillustri Admodum

dum

dum Reverendo Domino Cajetano Grochowicki Sacræ Theologiæ Doctore Collegii Nobilium Scholastico dubiis, Casibusq; Theologiæ ab Ejusdem Admodum Reverendis Dominis Auditoribus, & respective Classium Gymnasiorumquè Inferiorum, videlicet Antonio Poniatowski Rhetorices & Pòëseos, Josepho Raczyński Syntaxeos ac Grammatices Professoribus resolutionibus, atquè Juventutis Scholasticæ Grammatices Concertationibus Solemnis inquam facta & Celebrata fuit; super qua tali veritate præsens hoc publicum manu mea propria scriptum & subscriptum ac Sigillô Notariatûs mei, quô in Confectione similium utor consignatum, requirenti Prælaudato Illustrissimo & Reverendissimo Domino, à me tanquàm supra descripta omnia auscultante & ex integro vidente perfeci Instrumentum.

Ego Casimirus Rosołkiewicz Can: Regular: Later: Publicus Sacra Authoritate Apostolica Notarius, Venerabilis Capituli Secretet: Juratus mpp.

L. S.

GENEROSI KRUSZEWSCY Illustrissimum Reverendissimum KOSMOWSKI Abbatem Tremesnensem de Summa introcontenta quietant.

Actum in Castro Gnesnensi Fer 6. post Dñicam Septuagesimæ proxima die scilicet Vigesima Mensis Februar: Annô Domini 1778.

GEnerosi ANTONIUS & MAGDALENA de *Kosmowskie* Conjuges *Kruszewskie* & quidem Consors in ejusdem Mariti

Mariti ſui Authoritate & aſſiſtentia agens ſani exiſtentes Recedendo &c. recognoverunt. Quia Ipſi Illuſtriſſimum Reverendiſſimum MICHAELEM KOSMOWSKI Abbatem Clauſtralem Tremeſnenſem, Ejuſq; Succedaneos de Summa Septem Decem Millium florenorum Polonicalium pro Advocatia *Płaſzkowo* dicta Menſæ Abbatiæ Tremeſnenſis Hæreditaria per recognoſcentes vi Juris advitalitii Ipſis ſervientis, Poſeſſa per ſupraſcriptum Illuſtriſſimum Reverendiſſimum KOSMOWSKI, Abbatem in rem Menſæ Alumnorum Nobilium in Collegio novo Tremeſnenſi ab Ipſo Fundato educationem ſumentium reempta pro re recognoſcentium Compactata & realiter per hunc Illuſtriſſimum Reverendiſſimum KOSMOWSKI Abbatem recognoſcentibus exſoluta, & per recognoſcentes ab Ipſo levata, & in Bonis ſuis Hæreditariis *Izdebno* locata, quàm ob exſolutionem & levationem, nihil ſibi ſuiſq; Succeſſoribus ad prædictam Advocatiam *Płaſzkowo* reſervando & excipiendo quietaverunt, liberum miſerunt, prout quidem quietant, liberum faciunt, & pronuntiant, ſupradictamq; Advocatiam *Płaſzkowo* Ipſi cedunt, dant, donant, & reſignant, tum quoq; Evictionem reſpectu ejuſdem Summæ Septem Decem Millium florenorum Polonicalium per ſe ut ſupra levatæ, & in Bona ſua ſupra ſcripta *Izdebno* locatæ, prædicto Illuſtriſſimo Reverendiſſimo KOSMOWSKI Abbati cavent, ac pro ea ſe, ſuoſq; Succeſſores ſuper Bonis Eiſdem *Izdebno* tùm & aliis generaliter omnibus ac Summis quibuſvis habitis & habendis Inſcribunt & obligant, Idq; ſub vadio ſimilis Summæ, pro quo citati recognoſcentes ſuis cum Succeſſoribus reſpondebunt peremptorie.

L. S.

Ex Prothocollo Caſtrenſi
Gneſnenſi Extractum.
Ozdowſki V. R. C. G.
mpp.

ILLUSTRISSIMUS REVERENDISSIMUS KOSMOWSKI

Abbas Tremeſnenſis, intro ſpecificata, Actis Capituli Inſcripta, Collegio Alumnorum, iterum eadem Inſcribit in Caſtro Gneſnenſi & Innovat.

Actum in Caſtro Gneſnenſi Sabbatho poſt Cineres, proximo die ſcilicèt 7. Menſis Martii Annô Domini 1778.

COram Officio & Actis præſentibus Caſtrenſibus Gneſnenſibus perſonaliter Comparens, Illuſtriſſimus Reverendiſſimus MICHAEL KOSMOWSKI, Abbas Tremeſnenſis Canonicorum Regularium Lateranenſium ſanus mente Corporeq; exiſtens recedendo &c. recognovit. Quia Ipſe licet quidem circa Erectionem Fundationis ſuæ Alumnatûs Duodecem Juvenum Nobilium & Scholarum Publicarum Inchoatarum omnes prædictæ Fundationis Exdotationes in Actis ſui Capituli Tremeſnenſis cum libero & unanimi præfati Capituli ſui totiuſq; Congregationis Conſenſu alias inſcripſit, alias inſcribere & Incorporare ſuæ Fundationi prædîctæ ſe obligavit, atquè tam ſuprainſcriptas quàm inſcribendas, jam tàm à Sede Apoſtolica, quàm à Sereniſſima Republica in Comitiis Generalibus *Varſaviæ* Annô Domini 1775. Celebratis, Succeſſivè approbationes &

nes & acceptationes reportavit. (Quibus omnes Donationes & Incorporationes præcedentes compræhenduntur & continentur) Vi quarum Approbationum prædictas Scholas inchoavit, & in Alumnatu Duodecem Juvenes Nobiles fovere incæpit, Educationemque victum & amictum illis Profeſſoribuſq; ſtipendia, cæteraquè juxta mentem ſuam ad debitum finem deduxit; & integram Fundationem aperuit. Volens tamen præfatus Illuſtriſſimus Reverendiſſimus Abbas recognoſcens, ut prædicti Actus Declarationum, Inſcriptionum & Donationum prædictam Fundationem concernentium Capitulariter peractarum etiàm actîs præſentibus pro majori ſecuritate, & indubitato effectu inſcribantur. Idcirco hodierno recognitionis ſuæ Actu (poſtquàm omnia jam adimplevit) totas & integras Villam *Bieślin*, *Colonias*, *Kozłowek*, *&* *Oſtrowek* à ſe erectas atquè Villam *Kamionek*, ante hac diſertam nunc in Cenſualem Conſtitutam, tum de Molendino *Wilatovienſi* Centum Octuaginta Modios ſiliginis quotannis pendendos, tum quoquè Advocatiam *Płaſzkowo* nuncupatam in Bonis ſuæ Menſæ conſiſtentem, à Generoſis ANTONIO & MAGDALENA KRUSZEWSKIE ex Jure advitalitio exemptam cum ſuis univerſis emolumentis, Pratis, hortis, campis, Sylvis, borris, gais, nemoribus, rubetis, indaginibus Mericis, Virgultis, Stagnis Piſcinis, lacubus, fluviis, fluminibus, aquis, & earum quibuſvis accurſibus & decurſibus, utilitatibus, attinentiis, pertinentiis, uſibus, fructibus, cenſibus, reditibus, proventibus, emolumentis, attinentiis, pertinentiis, obventionibus, generaliter univerſis, juxta limites à prædicto recognoſcente deſignatos ſimulquè Summam quinquè Millium Florenorum monetæ Pruthenicæ, ſeu in Polonicam reductæ Decem Millium florenorum Polonicalium in Prætorio Thorunenſi locatam & Inſcriptam unà cùm Proviſionibus, ab Actu locationis ejus, atq; etiam Apothecam à ſe conductam emptam & extructam cum

Officina

Officina ſeu Domo noviter extructa, cum cæteris ſuis habitaculis, cenſibus emolumentis & reditibus pro prædictis Alumnis alendis, veſtiendis, educandis, pro Profeſſoribus ſalariandis continuóq; conſervandis, proquè obligationibus omnium, tum Alumnorum quàm Profeſſorum perpetuò adimplendis, cæteriſquè prædictam Fundationem concernentibus, ac juxta mentem Fundatoris Ordinatis ac Ordinandis, Idquè Actîs præſentibus omnes ſuos Actus Innovando Dat, Donat, Inſcribit & Incorporat nunc perpetuo, & in ævum, nihilquè ſibi ſuiſquè Succeſſoribus præter ſolam tuitionem, inſpectionem & protectionem ſuper hac Fundatione in perpetuum præſtandam reſervat. Hac ſua perſonali recognitione, ea omnia firmante.

L. S.

Ex Prothocollo Caſtrenſi
Gneſnenſi Extractum.
Ozdowſki V. R. C. G.
mpp.

Lectum cum Prothocollo.

INtrocontentum Summarium Documentorum ad Erectionem, Exdotationem & Approbationem Collegii Neo Fundati Tremesnensis Duodecem Juvenum Nobilium & Publicarum Scholarum servientium Actis Castrensibus Gnesnensibus Feria 5. post Festum Sæ. MARGARETHÆ Virginis & Martyris proxima die scilicet 16. Mensis Julii Annô Domini 1778. ad oblatam per Illustrissimum Reverendissimum MICHAELEM *Kościesza* KOSMOWSKI Abbatem Claustralem Conventûs Tremesnensis Canonicorum Regularium Lateranensium: tum Illustres Admodum Reverendos Valentinum Kędzierski Priorem, Cajetatum Grochówicki Scholasticum Ejusdem Conventus Canonicorum Porrectum est, quod suscepit.

S. OZDOWSKI V. R. C. G.

mpp.

L. S.